



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XXIX. Novembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Radbodus Episcop. Trajectensis prodebat suum in virginis cultu ardorem, quod nunquam Deum aliquid rogaret, quin eodem tempore etiam Dei Matrem obsecraret, quo id, ut ipse fassus est, obtinuit, ut sibi agonizanti Deipara consolans adfuerit. *SURIUS*. Non potest filii Mater oblivisci.

S. Radbode ora pro me Deiparam, ut dignitate, quâ Mater Dei excellit, & Angelis imperare potest, compescat Dæmones, ne animæ in lucta cum morte constitutæ noceant. Angelis verò sanctis præcipiat, ut eam cum hostibus præliantem confortent. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum possibile erit, placere & servire desidero. Hoc unum &c. f. 190.

Ad quod imperrandum: cum Radbodo quoties ad Deum, toties etiam ad Deiparam hodie preces fundam.

Beatissima Virgo Maria potens est omnî gratiâ, cujus particeps potest esse omnis creatura. *S. Antonin. 4. p. 217. 15.*

Quæstio: An B. V. Angelis fuerit aliquid apud Deum merita? *v. Vegam Theol. Mar p. 23.*

6. 3.